



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Simile exemplum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

60 Cap. VII. Severam quidem, sed iustissimam esse Famis poenam, menta sua. Tanta vis est in fame, ut amorem maternum superet, nec carnibus tantum vescatur hominis, sed etiam in ventrem mittat, quæ de ventre prodierunt.

III. Simile quid commemorat Iosephus alijque scriptores. An. Ioseph. lib. 7. Domini 72. obsidebat Titus Imperator urbem Hierosolymam, de bell. Iud. vallisque arctissime muniebat. Sic septi inclusi que Iudæi, adeo cap 6. & 8. fame laborare cœperunt, ut innumera hominum multitudo inedia quotidie necaretur. Quia ergo populum tanta fames inuaserat, ut neque herba, quibus vesci possent, superessent; è stabulis simum quærebant in cibum, collectoque domatim stercore vescabantur. Fame hac magis inualecente, neque humanis carnibus abstinuere. Iam enim calceamentis, cingulisque ac insuper corijs, quibus scuta tegebantur, detractis, insumptisque, & veteris fœni laceramentis magno pretio venditis, quæ his careret, eo immanitatis redacta est, fame improba compellente, nobilis ac prædiues mulier, Maria nomine, filia Eleazari, à seditiosis iam exuta omnibus vitæ præsidij fortunisque, lactentem filium occidit, quem comestura mox coxit. Cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, cum eius peruasissent domum, partem assati filij, quæ supererat epulanda, intuiti, detestati facinus impransum abiere. Moxque repleta est eius sceleris famâ tota ciuitas, & vnusquisque ante oculos sibi cladem illam proponens, tamquàm hoc facinus ipse admisisset, horrescebat. Paria de fame Sagunthina, deque fame Mælia possunt narrari, itemque de fame Perusina; & nostri temporis tragœdijs, si non præstaret tacere tam tristia, quàm dolorem memorando renouare.

IV. Fortasse aut illi, quos sub rege Israël fames presserat, aut isti quos Titus obsidione cinxerat, aut nostra sæcula tantam famem non meruerunt? Potuisset Deus vel innocentes exercere, ut grandi illo miraculo (quod ab Elisæo prædictum illis verbis: 4 Reg 7. 1. *In tempore hoc cras modius simila vno statere erit, & duo modij hordei, statere vno, in porta Samaria*) discerent diuinam prouidentiam, potentiamque agnoscere. Sed quis innocentes putaret illos, quorum rex famem populi adeo impatienter tulit, ut in illa eorumperet: *Hac mihi faciat Deus, & hac addat, si steterit caput Elisæi filij*